

deris in casu priore, quem habent inflatæ præ compressis & exinanitis, non nisi aëris inclusi pondus esse, majorem etiam utique futurum, nisi casus posterior & contrarius ipsi non parùm detraxisset.

Causa 12.  
Phæn.

CONCLUSIO IX. De vitris specularibus utique credidisset aliquis, ea, tanquam valdè nitideque polita, ad cohæSIONEM firmissimam esse debere accommodatissima. Nunc autem, quando contrarium experientia demonstravit, defectûs illius causam hanc facilè licuit conjicere: Non potuerunt orbiculi illi speculares orichalceorum aut ligneorum (antehac enim cum ligneis rem, adhuc infeliciùs, tentaveramus) basibus absque cæmento calido & liquefacto commodè adaptari; à calore verò laminæ vitreæ facilè flectuntur & incurvantur; indeque factum est procul dubio, ut incurvatæ tantillum planitiem exactam, servatâ politiæ, deperderent, & consequenter paucioribus sui partibus accuratè se contingerent. Aëris igitur portio notabilior intra cavitates & interstitia relicta, quippe quæ propter immediatè contactûs defectum exprimi non poterat, connato sibi elatere expandere se & plana ab invicem disjungere nititur, externique adeò vires in iisdem comprimendis multùm debilitat.

Causa 13.  
Phæn.

CONCLUSIO X. Decimi tertii Phænomeni ratio in promptu est: Admixtus enim oleo terræ tripolitanæ pulvis, asperitate suâ qualicunque illius lubricitatem temperat, insimulque mixturam conficit omnibus planorum inæqualitatibus penitus exæquandis aërique perfectiùs excludendo aptissimam, ita ut externus vim suam omnem in illa comprimenda, sine omni resistantia exercere possit.

CONCLUSIO XI. Jam quod ad HENRICI MORRI duo experimenta spectat circa valvulæ Boylianae obturaculum ab ipso proposita, illa quidem cum Hypothesi elastica ita undiquaque consentiunt, imò eandem per quendam